

ASSERTIO XCVI.

Peccatum mortale de absoluta Dei potentia potest remitti sine penitentia. Scotus 4. d. 14. quest. 1. cum suis contra aliquos Thomistas, & Recentiores.

Probatur I. Homo offensus, ex charitate potest remittere offensam, etsi offendens illam non retractet; ergo etiam Deus poterit peccatori remittere peccata mortalia, etsi ea non retractet, nec de iis penitentiam agat. II. Penitentia est tantum dispositio ad justificationem; ergo de absoluta Dei potentia poterit peccatori non penitenti infundi gratia justificans: cum absolute loquendo forma sine dispositione introduci possit in subiectum, uti etiam defacto peccatum originale deletur sine praevia penitentia in parvulis per Baptismum.

Obicitur I. Quamdiu culpa a peccatore non retractatur, tamdiu est ei voluntaria. Resp. D. voluntaria actualiter, virtualiter, vel interpretative semper. N. casualiter, & habitualiter C. II. Deus peccatori nequit remittere peccati aduale absque penitentia: ergo nec habituale. R. N. conf. disparitas est, quia in primo casu in eodem instanti foret peccatum, quia est actuale, & non foret, quia remitteretur: non sic in casu secundo.

ASSERTIO XCVII.

Iure Divino ad remissionem peccatorum mortalium post Baptismum commissorum necessaria est eorum specifica, & numerica confessio sacerdoti facienda. Contra Montanistas, Novatianos, Vvicleffitas, Calvinistas, Lutheranos.

Probatur I. Christus Joann. 30. dixit Apostolis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: atqui Sacerdotes non possunt solvere, aut ligare peccata, nisi ipsis a penitenti bus aperiantur: ergo Christus etiam voluit confessionem peccatorum fieri Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus. II. S. Joannes 1. Joann. 1. ait. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra. Apor. 19. dicitur: Multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes adus suos: ergo

Obicitur I. Nectarius Episcopus Constantinopolitanus confessionem abrogavit. Resp. dist. privatam neg. publicam C. II. Confessio omnium peccatorum est impossibilis. Resp. dist. omnium mortalium memoriarum occurrentium neg. venialium, T. III. Christus Luc. 7. absolvit mulierem specificè non confitentem. Resp. dist. ante institutionem Sacramenti penitentiae, & ut Deus C. secus N.

ASSERTIO XCVIII.

Datur purgatorium. Contra Vvaldenses, Albigenes, Hussium, Vvicleffum, Lutherum, Calvinum, Zuinglium, & alios haereticos.

Probatur I. Sanctus Paulus 1. Corinth. 3. ait; Ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem. 2. Machab. 12. san- da ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. II. Quia inter peccata, alia sunt mortalia, alia venialia, ut patet Prov. 24. septies cadet justus, & resurget, & Jac. 3. in multis offendimus omnes, & remissa peccatis mortalibus quoad culpam non semper remittitur

pena temporalis, ut patet in Davide 2. Reg. 12. Aarone, & Moyse, Deut. 32. ergo potest homo cum solis venialibus, vel nondum soluta pena temporali pro mortalibus, mori: sed talis non venit in caelum: quia in illud nihil coinquatum intrabit, Apor. 21. nec descendet in infernum, ut patet: ergo in Purgatorium.

Obicitur I. Ecclesiast. 11. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Resp. hoc est, qui decessit in gratia, aeternum manebit in ea, & e contra. II. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini. Ps. 126. Resp. dist. si nihil purgandum habeant conc. secus neg.

ASSERTIO XCIX.

Ministri verae Christi Ecclesiae debent vocari, & ordinari a Summo Pontifice, vel ab Episcopis, non a Laicis. Contra Hussitas, Vvicleffitas, Calvinistas, & Lutheranos.

Probatur. Quia in veteri Testamento Lev. 8. Aaron, & Filii ejus ex mandato Dei fuerunt consecrati a solo Moyse Sacerdote, & Pontifice, ps. 98. Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus. II. Quia Christus in novo Testamento se solo, sine consensu Laicorum vocavit, & ordinavit suos Apostolos, & Discipulos. III. Ad. 14. Presbyteri Lystrae, Iconii, & Antiochia, consecrati sunt a Paulo, & Barnaba; uti & Timotheus per Episcopos consecratus est 1. Timoth. 4. noli negligere gratiam, qua data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii. Et S. Paulus scribit Tito Episcopo, cap. 1. Reliqui te Creta, ut constituas per civitates Presbyteros. IV. Nemo dat, quod non habet; atqui Laici non habent potestatem Ordinis: ergo nec eam dare possunt.

Obicitur Ad. 1. Matthias, & Barsabas fuerunt electi a tota multitudine. Resp. non ex necessitate, sed ex mera libertate, hoc Sanctus Petrus concessit isti toti sanctae multitudini.

ASSERTIO C.

Vinculum Matrimoniale qua tale potest independenter a consensu viri, & feminae induci auctoritate Divina inter ipsos. Ita Soto, Amicus, Hiquerus, Mastrius, Bosco, & plures alii contra Sanchez, & alios.

Probatur. Vinculum matrimoniale qua tale, consistit in mutuo dominio corporum inter virum, & feminam: atqui Deus potest tradere mutuum dominium corporum inter virum, & feminam in ordine ad usum conjugalem independenter a consensu eorumdem: cum sit absolutus corporum nostrorum Dominus: ergo

Obicitur I. Consensus conjugum est de essentia vinculi matrimonialis: ergo. Resp. Neg. anteced. sed est ejus causa efficiens creata, quam utique Deus supplere potest. II. Nequit facere meritum absque consensu voluntatis creatae: ergo nec vinculum matrimoniale. Respond. Neg. consequ. disparitas est, quia ad meritum essentialiter requiritur libertas voluntatis creatae: non sic ad vinculum matrimoniale. III. In nostro casu vir, & femina non acceptant dominium in mutua corpora: ergo nec habent dominium. Respond. Neg. consequentiam. Quia sicut Deus pro ipsis traderet dominium, sic etiam pro ipsis acceptaret dominium.

CORONIS APPENDICIS CENTIFOLIAE, SEU RATIONES, ET MOTIVA QUINQUAGINTA

Cur quis tuta, & securissima Conscientia debeat Catholicus permanere, & in fide Romano-Catholica vivere, & mori; Item cur quis omnes alias Sectas deserere, & ad fidem Romano-Catholicam solum salvificam converti, illamque amplecti debeat

RATIO, ET MOTIVUM I.



Uia non videtur ratio, cur soli Lutherani vocent se Evangelicos, & Calvinistae se Reformatae Religionis, & cur non etiam debeant sic vocari Anabaptistae, & novi Ariani, seu Unitarii? Ab his siquidem non adfertur tale argumentum hujus denominationis, quod ab his non possit aequè, ac eodem jure pro suis fideis applicari. Cum igitur non sit major ratio pro Lutheranis, vel Calvinistis, quam pro Anabaptistis, & Arianis, vel quibusvis modernis Sectariis, quos Lutherani, & Calvinistae excludunt ab his novis titulis, ipsi quoque Lutherani, & Calvinistae nec quoad rem, nec quoad denominationem possunt dici Evangelici, vel Reformatae Religionis: ergo merito haec omnes Sectae: utpote earumdem quilibetiam reijciuntur.

II. Quia constat multos, qui in fide Romano-Catholica vixerunt, & mortui sunt, salvatos esse, ut ipsimet adversarii fatentur. An autem aliquis salvatus sit ex Sectariis modernis, nequidem ipsis A Catholicis constat: securior igitur via praesertim in negotio aeternae salutis est eligenda iuxta illud Christi Domini, Matth. 16. v. 26. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patitur? aut quam dabis homo commutationem pro anima sua?

III. Imò hinc inferitur, vel ex eo Romano-Catholicam fidem esse veram: nam sine fide impossibile est placere Deo. Ad Heb. 11. v. 6. omnis autem, qui salvatur, est in gratia Dei, amicus Dei, & placet Deo: ergo cum multi salvati sint in fide Romano-Catholica, eam veram fidem, & salvificam esse oportet.

IV. Inde ulterius deducitur, quod cum Romano-Catholica fides sit salvifica, adeoque vera, omnes ab ea diversae Religiones sint falsae: siquidem teste Apostolo ad Eph. 4. v. 5. & 6. unum est tantum Baptisma, una tantum fides vera ac salvifica, sicut unus est tantum verus Deus, ac Dominus noster.

V. Quia Catholicos posse salvari in sua Religione non solum ipsi Catholici constanter asserunt, sed A Catholicis etiam ulterò concedunt. In alia autem Religione aliquem salvari posse, soli A Catholicis, idque singuli de suis Sectis ominentur, & dicunt, quod Catholici absolute negant. Id verò, quod utraque pars etiam sibi adversa concedit, certius est, quam id, quod una tantum asserit, alter autem negat omnino: ergo securius operari volens rationabiliter facit, quod fidem Romano-Catholicam ceteris omnibus praeferat, illamque sequatur.

VI. Quia consulendo veterum, ac primitivae Ecclesiae SS. PP. scripta, ab ipsidem sola fides Romano-Catholica intelligitur extolli, suaderi, laudari: reliquas vero omnes ab ea alienas reijci, & damnari. Horum igitur prudentissimum consilium, ac Judicium sequi optime statuerit.

VII. Quia omnes sancti, & sanctae Dei, qui, & quae fuerunt ab instituta Ecclesia a Christo usque ad praesens tempora; fuerunt, ac vixerunt in Ecclesia Romano-Catholica.

VIII. Quia in Testimonium veritatis hujus Religionis subierunt tot millia Martyrum durissimam mortem, ac sanguinem suum profuderunt praesertim in urbe Romana, uti in Catacumbis illius loci ad S. Pancratium, ad S. Sebastianum, & alibi videre est.

IX. Quia omnes, qui ab Ecclesia recesserunt, ac eam impugnaverunt: ut Arius, Mahometes, Pelagius, Marcion, Macedonius &c. aeternis ignibus addicti sunt, uti, & eorum sequa-

ces. Tales autem Haeresiarum fuerunt etiam Lutherus, & Calvinus, ac alii inventores modernarum sectarum. Proinde consultum non est, aeterno damnationis periculo illos sequendo se se exponere; neque enim videtur potior ratio, cur Pelagius, & Arius sint haeresiarum, & cur non etiam Lutherus, & Calvinus.

X. Quia Romana fides fuit eadem cum fide S. Pauli, ipso S. Apostolo attestante, ad Rom. 1. v. 12. cur igitur deberet quaeri alia fides, quam qua fuit S. Pauli!

XI. Quia si Romano-Catholica fides non praereligitur, numquam electionum inter alias Religiones hinc finis cum antiqua quiete obtinebitur: semper enim dubitari poterit, quana ex tot, & tam variis Sectis sit vera fides, ac salvifica.

XII. Quia Doctrinae aliarum Religionum continent plurima Paradoxa, incredibilia, & rectae rationi prorsus difformia v. g. docent inter alia, quod omnia peccata sint equalia, nec ullum detur peccatum, quod sit veniale: unde sic arguitur: verbum otiosum est peccatum, cum Christus Dominus minetur de omni verbo otioso dandam esse a nobis in die Judicii rationem, Matth. 12. v. 36. ergo secundum hoc dogma Novatorum est equalis reliquis peccatis, cum Christo blasphemiae, & peccato incredulitatis, & peccato Apostasiae a fide Christi. Si est equalis his peccatis peccatum otiosi verbi: ergo est etiam equalis culpe. Si est equalis culpe, etiam equalis meretur poenam, si aequalem meretur poenam, etiam aequalem habet remissibilitatem, vel irremissibilitatem, & per consequens aequè difficulter remittitur, ac alia peccata: & tamen Christus de poenis & remissibilitate peccatorum longe aliud docuit: nam Matth. 5. v. 22. dicit: Qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio. Qui dixerit Raca, reus erit concilio. Qui dixerit, facite, reus erit gehenna ignis: ergo irae affectus erga proximum meretur siquidem aliquam poenam, sed majorem verbum acerbum, & adhuc majorem verbum consummatiofum. Deinde 1. Joan. 5. v. 16. dicitur: est peccatum ad mortem: ergo est peccatum aliquod, quod non sit ad mortem: ergo non omnia peccata sunt aequalia. Demum Prov. 24. v. 16. habetur, Septies enira cadet justus, & resurget, & impius autem corruent in malum: ergo sunt aliqua peccata, quae non tollunt, habitualem Justitiam, & sunt alia, quae eandem tollunt, consequenter omnia peccata non sunt aequalia.

Item docent, omnia nostra bona opera esse peccata: & juxta eosdem omnia peccata sunt aequalia: ergo omnia nostra bona opera sunt peccata aequalia peccatis reliquis: igitur orare Deum erit aequale peccatum, ac blasphemare contra Deum, & elemosynam dare pauperibus erit aequale peccatum, ac eundem spoliare, & injustè possessam rem reituerere proprio illius Domino, erit aequale peccatum, ac eandem apud se invito Domino retinere. En! Paradoxa incredibilia, & dogmata prorsus irrationabilia.

XIII. Quia omnes modernae Religiones diversae a Religione Romano-Catholica sunt novae, & tales, quas nemo tenuit, docuit, aut secutus est ante annum 1517. Omnis autem plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicaabitur. Matth. 15. v. 13.

XIV. Quia omnes haec novae Religiones sunt tantum ex antiquis haeresibus jam pridem ab Ecclesia diversis temporibus condemnatis confarctatae, & quidem ineptissimae.

XV. Quia soli Ecclesiae Romano-Catholicae conveniunt & quidem apostolicè notè verè Christi Ecclesiae, nempe quòd sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica.



XVI. Quia ad hanc solam converti sunt, & de facto convertuntur omnes nationes, gentes, & populi ex gentilitio, & paganism. Ad hanc enim ex ipso converti sunt sequentes Constantinus Chinesium Imperator in Asia. 2. Dominicus Imperator Monomotapa in Africa. 3. Carolus ultimus Imperator in America. 4. Helena legitima Imperatrix Sinesium. 5. Ludovica Imperatrix Monomotape. 6. Michael Primogenitus Imperatoris Monomotape Filius. 7. Osmanus Turcarum Imperatoris Ibrahimii Filius. 8. Anna Imperatoris Constantini Regia. 9. Maria legitima uxor Iovialis Imperatoris. 10. Balibafar de Mendez Regni Fezzani, & Marroccani Princeps hereditarius. 11. Dominicus Amathei Rex Tunetanus. 12. Adiam Sagbed Jafu Imperator Ethiopie, alias intulatus, Presbyter Joannes, Rex Abyssinorum, qui in manibus R. P. Josephi a Jerusalem Ordinis Fratrum Minorum Reformati Provincia Romanae, Missionis Apostolice a Summo Pontifice Innocentio XII. creatus, & in Ethiopiam destinatus Praefecti, 2. Februarii, 1702. solemnem Professionem ad Catholicam deposuit, & sub actuali sacros. Missae Sacrificii celebratione sacra synaxi recessit fuit. Nunquid hae messis multa, magna, & copiosa est? nec pauciores operarii, sed quam plurimi sunt, & fuerunt, imo milibus, & milleni, qui per mare, per terras, per tot discrimina rerum ad remotissimas orbis plagas excurrentes, & in vinea Domini insatiabili animarum zelo, & maximo illarum lucro operantes ejusmodi gentes, & infideles tamquam errantes oves ad gremium Sanctae Romanae Ecclesiae, ac verum ovile cum propria etiam vitae dispendio reducere laborarunt, & usque in hodiernum diem indefessè elaborant.

XVII. Quia antesignani modernarum Religionum nullo signo, seu miraculo probarunt, vel probare poterant, se à Deo missos ad Reformationem Ecclesiae.

XVIII. Quia idem antesignani fuere homines carnales, votifragi, Apollatae, Impii, blasphemii, ac Scurriles, &c.

XIX. Quia hae Religiones nihil, vel certe parum laborant in gentium ad Christi fidem conversione, sed solum in tepidorum Catholicorum perversione.

XX. Quia in Romano-Catholica Ecclesia multae Personae ex utroque sexu, etiam maximi Strenuatis, & summarum divitiarum, se obsequiis Divinis ulitò consecrant, vitamque suam in prospera obedientia, in paupertate voluntaria, & in castitate perpetua transigunt; in aliis vero Religionibus fidei, nemo magnarum fortunarum, statum praegnantium assumere dignatur, nemo ex his se ad continentiam resolvit, unde constat horum plerosque ex sola necessitate minus hoc obire: illos vero ex amore solius Dei, & salutis animae suae, & fidei veritate ad tales status se Deo consecrare.

XXI. Quia continentia, quae est Donum Dei, sap. 8. v. 21. Praedicantibus à Deo non confertur; cum tamen in Religione Romano-Catholica tot sint Religiosi, & Religiose, quae non tantum continentiam, sed incontinentiam virginitatem per Dei gratiam usque ad finem vitae conservant.

XXII. Quia Scriptores Aetholici plerisque argumentis suis, dum oppugnant Catholicos, ea impugnant, quae illi non negant (ut sic eos in odium apud plebem inducant) & ipsam Catholicam Doctrinam, prout ea apud Catholicos doceretur, vix attingunt, aut attingere audent.

XXIII. Quia Scriptores Aetholici contra Catholicos magis calumnias, & manifestis mendaciis agunt, quam solidis argumentis.

XXIV. Quia e contra Aetholici Catholicorum contra se argumenta, vel non solvunt, vel statim ad aliam controversiam materiam transseunt, & extravagantur.

XXV. Quia novae hae Religiones pro libito suo sacrae Scripturae libros & Canone sacrorum Librorum eliminant, & alios pro suo arbitrio vertunt, & interpretantur, & quidem unusquisque juxta proprium suum sensum: cum tamen apud Catholicos ubique locorum idem sit sacrae Scripturae Librorum Canon, eadem versio, idem sensus, & eadem interpretatio.

XXVI. Quia novae hae Religiones in ipsi articulis fidei plurimum inter se differunt, etiam ii, qui sub eodem nomine continentur, imò, & in ipsi Catechismis, quibus rudimenta fidei peris traduntur.

XXVII. Quia ipsae Augustanae Confessiones, quas pro fundamento suae Religionis Lutherani habent, maxime inter se differunt, & à prima illa originali Augustana Confessione discrepant.

XXVIII. Quia novae hae Religiones aperiunt latam, ac spatiofam viam ad omnem licentiam carnis, & voluptatum, cum tamen Christus docuerit arctam esse, & angustam viam ad Caelum, Matth. 7. v. 13. & 14.

XXIX. Quia Aetholici plurima sacrae Scripturae loca, ac textus detorcunt, aliqua addunt, quae placent, & ea ex proprio sensu suo interpretantur; Insuper aliqua depravat, & corumpunt, quae displicent; imò in ipsa sacrae Scripturae interpretatione ipsinet inter sese discrepant, & disconveniunt.

XXX. Quia omnes res vetustae, omnia Veterum Scripta, omnia Antiquorum documenta solum Romano-Catholicam Ecclesiam fuisse in Christianitate radicatum testantur.

XXXI. Quia Romana Ecclesia, esto haecenus fuerit jam inde à sui initio oppugnata, & impugnata à diversis Tyrannis, Ethnicis, Paganis, & Haereticis, semper tamen mansit inconcussa, & etiamnum inconcussa manet, cum tamen haereses aliae sicut extortae sunt, sic etiam interierint.

XXXII. Quia apud Aetholicos nulla, vel certe modica est Doctrina Aetholica, hoc est, talis, quae tractaret de perfectione, & exercitio virtutum Christianarum, uti & modica scientia de rebus moralibus, seu observatione legum Divinarum: sed potiora permittuntur desiderijs, & concupiscentijs depravatisimae naturae humanae.

XXXIII. Quia Concilia Aetholicorum etiam illa, in quibus modernarum Religionum caesae sunt confessiones, seu Professiones, uti erant Augustana, Helvetica, Genevensis, Anglicana &c. nec minimam quidem comparationem habere possunt, siue quoad doctrinam, siue quoad sanctitatem, ac virtutes, siue quoad nationum varietatem cum Conciliis Generalibus Ecclesiae Romano-Catholicae, & Patribus, qui eisdem interfuerunt. De ejusmodi Aetholicorum Conciliabulis, & falsis synodis jam olim Romanophilus poeta ita cecinit: est synodus Nodus, Coetum Patrum integer Aeger, Conventus Ventus, Sessio Stramen, Amen.

XXXIV. Quia principia Aetholicorum non sunt apta ad formandam conscientiam bonam homine Christiano dignam, bene autem Catholicorum principia, qualia sunt sequentia: Omne peccatum est cavendum, & in libero arbitrio hominis est, adjuvantia Dei gratia, ut peccet, vel non peccet. Omne peccatum mortale meretur poenam aeternam, & unum illorum sufficit ad aeternam damnationem. Peccatum pro nulla re totius mundi est faciendum, ita ut praestet miles morti, quam unicum peccatum committere, etiam minimum. De omni peccato etiam levissimo ac verbo otioso danda est Deo ratio. Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Post grave peccatum commissum nihil restat, quam vel infernus, vel poenitentia. Nullum opus bonitatis supernaturalis est, quod non mereatur gloriam, & gratiam supernaturalem, aut illius augmentum. Omnia peccata mortalia sunt in confessione aperienda, ac sacerdoti manifestanda, & plura his similia. Aetholicae autem Doctrinae haec sunt Conscientiae dictamina: Praecepta Dei impossibile est observare. Unusquisque tenetur se credere salvandum, vel praedestinatum. Talibus, qui haec credunt, Deus non imputat ullum peccatum. Propter nullum peccatum damnatur homo, nisi propter peccatum infidelitatis. Bona opera non sunt meritoria vitae aeternae. Poenitentia pro nostris peccatis non est necessario agenda, siquidem Christus jam sua morte, & sanguine satisfecit pro nobis. Non est in nostra potestate peccata cavere. Nemo obligatur ad sua peccata confitenda. Sola fides sufficit ad salutem. Jam consideret aliquis, & perpendat, his principijs qualifiam Conscientia formabitur ad evitandum malum, & faciendum bonum? cum tamen principia Doctrinae Catholicae id unicum praestare conentur, & praestare possint.

XXXV. Quia Praedicantes Aetholicorum solum ea proferunt, quae sunt in contemptum Religionis Catholicae: alia autem, quae sunt in sua Religione gravissima, & in perditionem manifestam animarum illis subjectarum, penitus dissimulant, tacent, & obmutescunt.

XXXVI. Quia ii, qui inter Catholicos judicantur esse pessimi, & tepidissimi, inter Aetholicos judicantur esse optimi, & ferventissimi. Sed nunquid à fructibus eorum cognoscetis eos? Matth. 7. v. 16. & planè qui fuit hic corvus, non ibi Cygnus erit.

XXXVII. Quia nemo est, qui à fide Romano-Catholica apostatet, & deficiat ad alienas Religiones modernas ex eo, ut in eis fiat melior, & sanctior, sed ut ibi laxius, voluptuosius, & licentiosius vivere possit: nam vinum, & mulieres apostatatae faciunt sapientes. Ecclesiastici 19. v. 2. & initium superbiae hominis apostatatae à Deo. Ecclesiastici 10. v. 14.

XXXVIII. Quia etiam pertinacissimi heretici sepius considerant mori in fide Catholica, ac etiam in illa moriuntur. Nullus autem Catholicorum optat mori in fide à Romano-Catholica aliena: utique hi ob confidentiam in suam fidem, illi autem ob diffidentiam illius. Quia bene vident, & noverunt, imò utraque manu palpant, suam Religionem esse falsam, & incertam, dubiam, & erroneam, periculosam, & animae salutis damnosam. Sed proh dolor! Proprium interesse, respectus humanus, & vita voluptuosa, ac licentiosa, quae non moralia cogis peiora?

XXXIX. Quia cum tam clara sint testimonia Sacrae Scripturae de spe, charitate, poenitentia, elemosyna, & operibus misericordiae, quod sint proficua ad vitam aeternam obtinendam, ac de ipsa fide. Haec tamen omnia continentur moderni Novatores, & solum fidem ad salutem sufficientem esse docent.

XL. Quia Praedicantes Sectariorum dum merita Christi, ac satisfactionem merè extollunt, imitationem vitae illius auditoribus suis proponere, aut suadere penitus negligunt, quin eisdem praetensionem, & ansam praebent, ut de cavendis peccatis, & poenitentia agenda pro commissis minime sint solliciti, uti nec de exercitio virtutum, ac bonorum operum, id pro se allegando, quod Christus Dominus abundè jam sua morte sanctissima pro peccatis nostris satisfecerit, & Regnum Caelorum nobis promeritus sit, atque sic passionem, ac mortem Christi, nec oia illius satisfactionem in vitae licentiam assumunt. Orthodoxa autem doctrina est: Christi quidem mortem, ac passionem esse sufficientissimam ex se pro peccatis nostris, & totius humani generis, ac infiniti profusè meriti extendentis se ad omne omnino praemium possibile: nihilominus Christum voluisse illius fructum applicare nobis ita, ut & nos imitando virtutes illius, ejusdem Passioni coopereremur. Duplex liquidem fuit finis Adventus Christi Domini in hunc mundum: Primus erat, ut pro peccatis nostris satisficeret, & ab aeterna damnatione nos eriperet: Alter vero, ut perfectissimum omnium virtutum exemplar nobis daret, & ad sui imitationem nos adduceret. Quem finem ipsemet Christus his verbis declarat: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis, Joan. 13. v. 15. & apud Matth. 11. v. 29. discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & S. Petrus 1. c. 2. v. 21. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.

XLI. Quia omnes Aetholicorum fidei opiniones in dubio sunt constitutae, & in facili fallibili: ac minimè tuto principio Dicitur fundatae: quia Aetholici non sunt certi, quod veram sacram Scripturam habeant, quia idipsum ex Bibliis non possunt probare, cum in Bibliis non sit scriptum, quod haec Biblia sint verum verbum Dei. Traditiones autem non admittunt, adeoque solummodo credunt hoc, quia ita à Catholicis Dicitur audiunt, qui tamen (Aetholicorum opinione) in rebus fidei potuerunt errare, & errant, quin (ut Aetholici quidem ajunt) de facto, & actu errarunt.

XLII. Quia multa docent Aetholici, quae sacrae Scripturae immediatè, & è diametro sunt opposita, ut 1. quod per Baptismum peccatum originale non totaliter deleatur, sed tantum obtegatur, quod est contra illud Joan. 1. & ad Ephes. 4. II. Quod praeccepta Dei impossibilia sint servatu, quod est contra Ezech. 34. & contra 1. Joan. 5. III. Quod nihil sit credendum, nisi quod est scriptum, quod est contra 2. Thes. 2. IV. Quod Ecclesia Christi possit errare, quod est contra Matth. 16. v. 18. & contra Joan. 24. v. 16. V. Quod Matrimonium praevaleat Statui virginali, quod est contra 1. Cor. 7. v. 28. VI. Quod Jurata Deo vota servandi non sit obligatio, quod est contra num. 30. & contra Ps. 75. VII. Quod Scriptura sacra facilis sit intellectu, quod est contra 2. Pet. 3. VIII. Quod homo probus sit aeternae salutis certissimus, quod est contra Eccles. 9. & contra 1. Cor. 4. IX. Quod bona opera non sint meritoria ad salutem, quod est contra Matth. 25. & contra 2. Pet. 1. Quia, inquam Aetholici haec, & plura similia sacrae Scripturae immediatè contraria docent, rationabiliter credi non potest, quod habeant fidem salvificam, & quae necessario requiritur, in rebus fidei veritatem.

XLIII. Quia Deus tantum fidem Romano-Catholicam hucusque evidētissimis Miraculis confirmavit, quae Miracula à nulla simplici creatura fieri possunt. Accedit, quod Daemones tantum à Catholicis expellantur, & exorcizentur, Martino Lutero notam illam personam energumenum frustra sine effectu, fructu, olim Voistemberge in Saxonia exorcizantem.

XLIV. Quia apud Catholicos tantum Caput visibile Ecclesiae ab ipso Christo Domino denominatum in continua, & nunquam interrupta successione 248. Summorum Pontificum, seu Romanorum Episcoporum miraculose conservatum, semper agnitum est, & tamquam Christi in terris Vicarii, ac Successores Petri in summa, & publica veneratione habiti sunt Romani Pontifices.

XLV. Quia Aetholici dicunt Papam Romanum esse Antichristum, quod esse falsum, clarè est luce meridiana, siquidem sacrae Scripturae clarè praedicant, quod Antichristus se Christo opponet, & supra Deum se elevare praesumat. 2. Thes. 2. tollit Sacrae Missae Sacrificium. Danielis 12. Adorabitur à Judaeis tamquam Messias: unus solum

homo erit, sedebit in templo Dei Jerusalemis, tribus & medio solum anno regnabit, & similia: Quae omnia ne in minimo quidem Papae conveniunt, ut potè qui omnibus viribus contendit, ut sanctissimum Jesu Christi nomen ubique terrarum perfectissimo modo sanctificetur, & ut amandissimum raram Salvatorem quam optimè omnes homines colant, ament, laudent, adorent, & glorificent, pro cuius confessione 56. Pontifices Romani gloriose martyrium subierunt. Quomodo ergo hi Anti-Christi id est, Inimici, & Adversarii Christi cum veritate appellari possunt?

XLVI. Quia Catholici plusquam 1500. Annis ante Lutheranos, & Calvinistas in possessione verae fidei persistenterunt, pro Catholicis stant omnes praesumptiones, & omnia praesudicia, videlicet promissio Christi, infallibilia signa verae Ecclesiae, indubitata prodigia, & miracula, conversio infidelium, & gentium, sanguis Martyrum pro fide prodigè effusus, & alia quam plurima. Nihil horum pro fide Lutherana, aut Calvinistica.

XLVII. Quia Aetholici fatentur, Ecclesiam Catholicam olim fuisse veram Christi Ecclesiam, & tamen non possunt dicere, 1. Quia in re à puro Dei verbo recesserit, & sunt dicere, 2. Quam quid sacrae Scripturae contrarium docuerit? 3. Quam quid sacrae Scripturae contrarium docuerit? 4. Quam quid sacrae Scripturae contrarium docuerit? 5. Quam quid sacrae Scripturae contrarium docuerit? 6. Ubi illis temporibus Judaei, & Ethnici veram fidem amplecti volentes se infinuare debuissent?

XLVIII. Quia nullo modo est credibile, quod Spiritus sanctus universalem, & Catholicam Ecclesiam penitus ita desererit, ut Ecclesia in tantos, & etiam horribiles errores (sicut Aetholici asserunt) lapsa sit, & quidem post tantam infidelium populorum conversionem, ita ut solum in novo orbe, seu partibus Americis ultra centum millia Catholicorum Templorum sint aedificata, ut vel ex hoc solo capite à Spiritu sancto desertam tantopere fuisse Ecclesiam Christi praesumi non possit. Bene enim ponderanda, ac ruminanda sunt verba Sancti Augustini asserentis: si Adversariorum opiniones concederetur: Spiritum sanctum, aut non voluisse, aut non potuisse diutius, quam 600. Annis Sponsam Christi, quae est ejus Ecclesia, regere, cujus utrumque, vel alterutrum asserere, foret summa in Spiritum sanctum blasphemia.

XLIX. Quia Avi, & Proavi, & Atavi, &c. Catholicorum in signum zelosissimum Catholicam veritatem tam celeberrime fundarunt Ecclesias, Monasteria, & Canonicatus, Episcopatus, & alias fecere piissimas foundationes, ob quas etiam ab optimo Deo largis benedictionibus sunt donati, in Catholica fide sanctè vixerunt, & piè in Domino sunt defuncti. Qui si à mortuis resurgerent, & modernam Templorum, ac Monasteriorum devastationem, suarumque foundationum frustrationem intuerentur, haud dubiè illud triste lachrymabundi ingemarent: Quas Sacras Aedes pietas exstruxit Avrum, Has nunc devastant haeredes more Luporum, qui sunt haeretici.

L. Quia non tantum in Patria nostra Germania, sed etiam in toto orbe terrarum à temporibus Apostolorum tantus accursus infidelium, & gentium, tantum ad Catholicam, & Romanam fidem factus est. In qua fide etiam omnes sancti Dei, veteris, & novi Testamenti vixerunt, & mortui sunt: imò pro qua tot millia Sanctorum Martyrum id est, undecim Sanctorum Martyres miliones sanguinem suum profuderunt, illiusque veritatem gloriosa sua morte confirmarunt.

Propter has, & alias rationes plurimum urgentes, & planè convincentes, plures Serenissimae, Illustrissimae, perillustres, & Excellentissimae viris quae sexus Personae à Calvinismo, & Lutheranism ad fidem Romano-Catholicam se converterunt, quarum aliquas breviter subiiciemus: Elisabetha Christiana Ducissa Brunsvicensis. Vuolfenbutelana moderna Augustissima Romanorum Imperatrix. Henricus Quartus Rex Galliae, & Navarrae. Carolus Secundus, & Jacobus Secundus Reges Angliae, & Fratres: Christiana Alexandra olim regnans Regina Sveciae. Fridericus Augustus Primus modernus Rex Poloniae, & Elector Saxoniae. Fridericus Augustus II. Princeps Electoralis Saxoniae, & Regius Poloniae. Christianus Augustus Dux Saxoniae. Zettanus Archi-Episcopus Srigonienfis; primas Ungariae, S. R. E. Cardinalis, & ad comitia Imperialia Rationonensis S. C. M. Legatus Plenipotentarius actualis, Antonius Udal-